

75

255
R

70
205

R

B.M.L. EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

IV A 35

SIGNAT. CCCXIII.

R 70
Phil R 205



Ung IV A 35

BIBLIOTHEK
D. UNGARISCHEN INSTITUTS
an der Univ. Berlin

(5158)

H.W. 1655.

70
205

COMMENTATIO
DE
SVMMIS COGNITIONIS HVMANAЕ
P R I N C I P I I S

QVAM

AVCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGSTA

PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
OBTINENDIS

DIE IX MAII. A. CICLOCCXCV

P V B L I C O E X A M I N I

S V B M I T T I T

PAVLVS SÁRVÁRI

HVN GARVS

GOTTINGAE,

TYPIS IOANNIS GEORGII ROSEN EVSCHIL.

Bibliothecae Hungaricae que Vincenberga
est officiose obvulsi auctor; dum Vitemberg
1795. - 1796. - 1797. - 1798. - 1799. - 1800.

COMMUNITATIS
SACRAE CONVENTIONIS HUMANAE
P R I N C I P I A

MAVD

Late fuisse opus est et multiplex, et prope quotidie novum, et de quo nunquam dicta erunt omnia. Quae sunt tamen tradita, quid ex his optimum, et si quid mutari: adiici, detrahi melius videbitur, dicere experiar.

QVINTILIANVS.

AGADIVIA GEGENAU AVALETU
PRO SCHWABIA PHILOSOPHIA MONSTRIDA
OATIARVNDIA

DIE IN MAIL A. GEGENAU

IARTICO EKAMINI

SACRUMTIA

PVALAE SARRAVAI

HVMERAE

COTTINAGE

THESS JOANNIS GEDOLII MUSICAVERCIN

VENERABILI
C O N S I S T O R I O
S V P E R I N T E N D E N T I A E
HELV. CONF. IN H V N G A R I A
T R A N S T I B I S C A N A E

GRATIA DE DICAT

AVGCTOVS

ITEM

ITEM AVCTOR.

MERITISSIMIS

ECCLESIAE HELV. CONF. DEBRECINENSIS.

MODERATORIBVS,

FAVTORIBVS SVIS OMNI OBSERVANTIA
PROSEQVENDIS,

OPVSCVLVM HOC QVALECVNQVE

GRATVS DEDICAT

AVCTOR.

PRAEMITTENDA.

Delegi *Commentationis argumentum maxime quidem Philosophiae proprium*, interim et aliis disciplinis commune: *Summa cognitionis humanae Principia*. Trahebar ad hoc ipso temporum nostrorum philosophandi Genio: cui vel igitur obtemperandum esse iudicavi, ne forte laudandam eius hac in re diligentiam non satis aestimare viderer. Et quamvis nulla in re minus, quam in hoc argumento, omnium Philosophorum adsensum sperare poteram; promiscuum vero eorum etiam, qui Philosophi non sint, iudicium metuendum habebamus refugium tamen, quum in studiis mathematicis aut physicis inventire potuissem, quaerere nolui.

Alia, quae forte non inepte praemonenda erant, ne operi
exiguo longior accrescat Praefatio, mittam praeter unum illud:
me, in terminis criticae Philosophiae, passim etiam Germanice
adiectis, consilium cuiusdam Viri mihi faventis secutum fuisse. Iam-
que ad agenda accedam, praemissoque generalissimo quodam, de
natura et usu Principiorum in scientiis, tractatu, ad ipsa *summa*
cognitionis humanae Principia properabo: ubique, de aridita-
tis metaphysicae culpa non mihi tribuenda, aequos iudices
sperans.

A 3

PARS

P A R S P R I O R.

De natura et usu Principiorum in scientiis in genere.¹

Quando quidem notio *Principii* cum illa *Initii* propriæ eadem est: intelligi potest, aliquid pro Principio habendum esse non nisi in relatione eorum, quae sequuntur; atque adeo *Principii* vocabulum, ut Logici vocant, *relativum* esse; ita ut, quod subsequentium ratione *Principium* dixeris, antecedentium respectu *Consequens*, aut *finem* etiam, nominare queas. Sicut, aurora principium diei est; et eadem finis tenebrarum. *Principium* hoc sensu nihil amplius denotat: quam prioritatem quandam respectu ordinis, seu successivæ existentiae in tempore. At vero saepe fit, ut ei, quod ordine alia praecessit, inesse etiam putetur quaedam vis generandi, seu producendi ea, quae sequuntur. Ita solis ortum, non tantum ordine phænomeni, lucem et calorem diei praecedere; sed etiam causam horum esse credimus: proptereaque *Principium* lucis calorisque diēi dicimus. Est vero inter Physicos, praesertim veteres, una adhuc *Principii* notio valde frequens; quae materiam quandam primætivam, seu elementum universi simplicissimum designat: quale THALETI aqua, ANAXIMENI aér; aliū aliud est *). Atque tria haec potissimum Principiorum genera, ratione existentiae rerum, animo concepisse iuverit: quae forte, *Principium ordinis*, *Princip. causae*, et *Princip. materiae*, seu *Principium a quo*, *per quod*, et *ex quo* dici possint.

Enim vero et ratione cognitionis nostræ *Principium* latissimo sensu dixerim: quidquid reliquam nostram cognitionem, aut ordine adquisitionis anteit: ut hodie apud cultiores Europæ populos alphabetum omnis eruditio[n]is est principium; aut foecunditate sua, usu item ac dignitate, ita alia, quae cognoscimus, antecellit, ut haec ab eo velut fonte quodam profluere,

*) LUCRETIUS de rer. nat. L. I. a versu 636 ad 919. speciatim versus 708.

Et qui *principium* gignundis aëra rebus

Constituere.

aut saltim in decurrente adiuvari, videamus. Atque potissimum haec posteriora sunt, quae in scientia quadam *Principia* solent celebrari. Quorum una classis, *Principium materiale* dicitur: quo omnes propositiones, quae aliquid universaliter enunciant, particularesque gignunt, latiori sensu referuntur *). Ut si admittas: *omnia corpora esse gravia*; inde velut ex Principio deducam: etiam *aërem esse gravem*. Altera Principiorum in scientiis classis eas habet veritates universales, quae aliud in lucem proditur velut obstetricantur, mentique in cogitando quasi adstant, nihilque aliud, quam ipsam mentis legem, seu formulam exprimunt, indeque *Principia formalia*, seu *logica* vocantur. Quale est celebre illud contradictionis Principium: *Nulli rei competit praedicatum, quod ei contradicit* **). Interim tenendum est, sic dicta formalia Principia in materialia converti posse; ut si dicas: *Fieri non potest, ut idem simul sit et non sit*; quin hac ratione illa in primis inde ab antiquo in usu fuisse ***); nunc vero sic male nonnunquam usurpata a critica Philosophia reprehendi †).

Verum haec hoc loco exempli tantum causa, et historice dicta sunt. Id vero de Principiis scientiarum strictius sumtis observari velim: ea, praesertim erudite enuntiata, non ordine quo adquisiveris †); sed dignitate sua, quae non vulgaris sit, aestimanda esse. Quae dignitas eo nondum absolvitur, quod propositio universalis pro Principio respicienda, indubiae sit veritatis; atque ut unius, alteriusque consectarii mater esse possit: verum id quoque requiritur, ut suum fundamentum, non

*) KANT Critik der reinen Vernunft, edit. 3, pag. 356.

**) KANT Crit. d. r. V. p. 190.

***) PLATO Alcib. II. Δυο γαρ ἐναντία ἔνι προγράμματι πως ἀν ἔιναι; Οὐδαμός. ARISTOTELES Metaph. III. 3. 4. αὐτη ἔσι βεβαιοτάτη τῶν ἀρχῶν πασῶν, ἀδύνατον ἔσιν ἀμπελέναι, καὶ μη ἔναι.

†) KANT Crit. d. r. V. p. 191 et sequ.

††) Ita putabat LOCKIUS adversus principium contradictionis disputans, quo priorem esse dixit in infante quovis cognitionem nutricis. De intell. hum. L. IV. cap. 7. §. 9.

non ex reliquis doctrinae ipsius, cui praefuerit, capitibus petat, quin potius, ut haec ex se deduci, aut saltim ad se reduci patiatur *).

Est quippe duplex Principiorum in scientiis usus; unus quidem, ut opiniones aliorum, aut nostra ipsorum cogitata ad aliquam scientiam referenda examinatur, quaenam sint proxima eorum Principia? et an vera sint? per gradus continuos discutiamus; donec ad Principium aliquod, quo altius ire aut opus non sit, aut homini non liceat, perventum est. Ut si theoriam quandam de motu planetarum tibi forte in animum venientem, aut a NEWTONO propositam censurae tuae subiecturus, ad ipsum usque attractionis, seu gravitatis phaenomenon, quod experientia communis docet, reducas; aut cum D. LE SAGE ipsa quoque attractione simplicius quidpiam quaerere coneris **). Qui Principiorum usus, quum in discussionibus eruditis ad id valeat; ut ea, quae nimis perplexa ab intellectu humano non facile perspici possunt, in simpliciora solvantur: *analyticus* dicitur. In quo iustos te terminos transcendisse intellige: simulac ipsa illa nimia subtilitas, ad quam devenisti, aciei mentis molesta fit. Alter Principiorum in scientiis usus, praesertim mathematicis disciplinis conveniens, hic est: ut illi, qui in aliorum institutione versari voluerint, prima doctrinae suae Principia, h. e. generalissimas veritates et maxime simplices, ante omnia diligenter pro basibus ponant, illisque reliquum opus nexu continuo superstruant. Hic Principiorum usus, quum ad ordinanda, et componenda scientiarum corpora valeat: *syntheticus* vocatur. In quo hic tibi modus tenendus est: ut eum non sine quodam discriminne, nec nisi antea rite explorato fundamento, cui innitaris, extra Mathesin puram adhibeas. Sunt igitur, ut iam omnia complectar *Principia in-scientiis*, simplicissimae et generalissimae veritates, quibus

*) MAIMON in praefatione ad Anfangsgründe der neut. Philos. von PEMBERTON. Berlin 1793. I Th.

**) LE SAGE Essai de chymie méchanique couronné en 1758 par l' Academie de Rouen. confer Ill. LICHTENBERG in edit. Physicae Erxlebenianae. §. II3. b.

quibus altius ire homines in discussionibus in aliqua disciplina instituendis non possunt; et quae in tradendis, aut animo concipiendis, severioribus in primis studiis solida praebent fundamenta.

Quibus ita constitutis, intelligi potest, distinctum Principiorum usum neque ad vulgarem indoctae plebis cognitionem pertinere; nec eo valere, ut in discussionibus, ac disputationibus, statim ad ultima Principia recurras; nec denique, ut, quum cogitando aliquid invenire volueris, nihil nisi Principia quaedam animo praesentia serves, ex illisque novas veritates divite tibi vena adfluxuras exspectes. Erit tamen nihilominus Principiorum in orbe erudito usus, quin erit etiam necessitas: quum nulla cognitionis moles, quamvis vasta, scientiae nomine digna sit, nisi firma steterit Principiis. Vnde non temere censere mihi videor, optime eos de aliqua mereri scientia, qui eam ad certa et idonea Principia felicissime revocarint. At vero ne quis hoc a me ita forte dici existimet, quasi ab omnibus, qui in promovenda quacunque arte cum laude aliqua versari voluerint, Principiorum inventionem sine delectu desiderem, palam, quod sentio, profitebor; in ipsis alicuius scientiae natalibus, teneriorique eius adolescentia, non tam de principiis, quam nutrimentis cogitandum esse; atque circa principia constituenda tunc demum laborandum esse, quum ipsa scientiae materia satis iam aucta atque discussa est. Atque ut hoc exemplo Philosophiae illustrem, eoque proprius ad praecipuam commentationis meae partem accedam; animus humanus satis diu nonnisi materiam Philosophiae, fortuito et nullo ordine, ut potuit, collegit: postquam vero aucta satis materia fuit, de catena quoque, seu nexus inventorum cogitare coepit, in eoque nostris temporibus plurimum profecit *). Quamvis enim olim PLATONIS et ARISTOTELIS, proximus vero CARTESII, LOCKII, et LEIBNITII merita in Principia Philosophiae et omnis cognitionis humanae maxima fuerunt: maiora

*) FÜLLEBORNS Beyträge zur Gesch. der Philosoph. IV. St. p. 205 et sequ.

maiora tamen esse recentiorum, universalis quodam fervore in hoc laborantium, nemo, nisi recentioris literaturae philosophicae ignarus, negaverit. Praesertim postquam Cel. KANTIVS invalecentem nuper inter plures circa discutienda philosophiae principia torporem depulit *); novique subtilissimi examinis fundamentalium cognitionis humanae exemplum dedit **), intelligere omnes coeperunt, plura adhuc, quam creditum erat, huius restare operis, quod verissime prope quotidie novum est, et de quo vix unquam dicta erunt omnia. At vero etiam, si quis omne hoc opus aut iam absolutum esse, aut brevi clarissimum Philosophorum opera absolutum iri, credat ac speret; eidemque ultro largiar, omnes homines, qui fani fuerint, communii prorsus res cognoscendi facultate nasci: vel sic tamen manebit ei, rem propriis oculis lustrandi necessitas; nisi se coecum duci in sententiam aliorum, quod philosophi non est, voluerit. Invitat ad hanc lustrationem omnes Philosophos ille ipse, cuius semita fecit viam: nec tantum ius itineris commune vindicat; sed etiam ad officii sanctitatem illud extollit ***). Qua ego ut pro meis viribus defungerer: summam eorum, quae in latissimo hoc campo aliis ducibus viderim, in sequentibus exposui, examinique publico, me amplius etiam erudituro, subieci.

*) Cel. EBERHARDI Phil. Magaz. II. B. I. St. p. 92.

**) Ill. FEDERI Grundsätze der Log. und Metaph. edit. 1794. Vorrede, Seit. XI. XII. Item AENESEDEMVS p. 31 - 33.

***) KANT. Crit. d. r. V. p. 884. Item pag. 731.

PARS

P A R S P O S T E R I O R.

De Principiis cognitionis humanae.

Principia cognitionis humanae exponere velle, non aliud est, quam quaestionem solvere ut tentes: undenam tibi constet, te haec aut illa ita cognoscere et sperare posse, ut cognitio tua non *nuda* opinione, nec spes meris cerebri figmentis absolutantur? cui nisi ita satisfactum fuerit, ut illud cuilibet cogitanti clarum, certum et necessarium adpareat: tum quidem nulla cognition humana certa, nullaque Philosophia, esse potest. Nec est cur quisquam hanc quaestionem superfluam in Philosophia dicat, locoque omnis Principii, quod quaeritur, ad internum quandam Veri sensum (*Gefühl*), qui se de veritate omnium, quae cognoscit, dubitare non sinat, provocet. Etsi enim quispiam in *subjectivo* hoc Veri indicio adquiescat; nunquam tamen se, eo argumento, in aliis persuadendis profecturum speret: insuper sibi ipsi anceps imminere periculum perpendat; ne mutata sua perspicacia ac dispositione omne suum veritatis fundamentum evanescat; eadem vero manente, ne illud in fanaticam pertinaciam degeneret. Principia igitur cognitionis nostrae, et nobis (*subjective*) et aliis (*objective*) valitura, non aliud quam certae Propositiones, nulli unquam mutationi, quam humana mens praevidere possit, obnoxiae, esse debent. Et quamvis cum in omni natura continuas rerum conversiones, tum in ipso homine perpetuas et corporis partium, et animi opinionum commutations, diffiteri non licet: est tamen in uno quoque nostrum tam constans cogitandi ratio, ut quum illam mutari, salva anima, ne fingere quidem possimus; spe quoque detegendorum ex ea cognitionis humanae Principiorum, non vane nobis blandiamur*). At vero hactenus nulla in re magis, quam in

*^o) REINHOLDS Beyträge zur Berichtigung etc. I. Band. Zweiter Aufsatz.
Item FÜLLEBORNS Beytr. z. Gesch. d. Philos. III. Stück. p. 114. sq.

in sententia ferenda de originibus et Principiis cognitionis humanae Philosophi inter se differebant, manifesto documento, nondum eos in re ad veritatem plane accessisse.

Duxit agmen ab una parte ARISTOTELES, qui animam nostram, dum nascimur, *rasae* cuidam *tabulae* similem esse docuerat: ita ut, quidquid deinceps in ea scriptum foret, totum sensibus, seu experientiae, putaret esse tribuendum. Ad eius sententiam accessit ex recentioribus LOCKIUS *), cuius hac de re Philosophiam, fatente ipso eius aemulo, maxime *popularem*, h. e. ad communem hominum captum esse comparatam, nemo negaverit **). Et profecto, si *sensus* et *experientiae* vocabulum latiori sensu a LOCKIO sumatur, ita ut etiam *conscientia* (Bewustseyn), seu *internus sensus*, indeque *nascitura experientia* eo referantur, tunc adversus eum non disputaverim. Ex *externis* vero *sensibus*, solo *intellectu* excepto, oriundam cognitionem pro ita adhuc composita habeo, ut pro simplicissima veritate, quam lemn principii notio requirit, non valeat. Accedit vero id etiam, quod non omnia, quae in anima humana occurrunt, ut est, *absolutae necessitatis* et *universalitatis* notio, ex sensuum cognitione, velut sub conditionibus tantum necessaria, et semper particulari, possint explicari. Quod quum summum HVMEI acumen perspexisset, non male videtur suum Scepticismum intulisse: nos de rebus necessariis et universalibus sine solido philosophari fundamento; si Lockiana illa sententia, qua tamen et ipse nihil rectius noverat, vera sit ***).

Princeps Philosophorum alias sententiae fuit PLATO. Qui quum multa in anima humana observasset, quorum originem ex sensi-

*) LOCKE'S Essay concerning human Understanding. In plures alias Lingv. translat. L. I. et II. Speciatim L. II. cap. I. §. I. Ubi anima recens nati Infantis cum charta pura comparatur.

**) LEIBNITZ Nouv. Essays sur l'Ent. hum. pag. 3. et L. II. ch. I.

***) HVME'S Essays on several subjects I. Vol. I. Part. XVIII. Ess. The Sceptic.

Eiusdem Inquiry concerning Human Understanding. Sections II. IV. V. VII.

Confer KANT Critik d. r. V. p. 127.

sensibus repeteret non poterat: ea omnia menti innasci, seu adsumta Metempsychosi Pythagorica, ex vita animae, antequam corpus nostrum intrasset, acta, per *Reminiscientiam* optime explicari posse putabat; atque adeo etiam pro omnis Veri Principio non sensus, qui tantum occasionem subministrent, sed intellectum laudabat *). Hanc sententiam, missa illa Pythagoreorum fictione, mutatisque aliis non paucis, renovavit LEIBNITIUS, qui *veritates universales et necessarias*; ut sunt notissimum illud contradictionis principium, omnisque Arithmetica, et Geometria; Menti humanae *virtualiter* innasci docuit, exemplo imaginis Herculeae, in marmore rudi per venas ipsas expressae, suam illustrans sententiam; atque sicut ad expoliendam ac producendam Herculis imaginem e rudi lapide, ita et ad protrahendas in lucem ideas seu *veritates innatas*, sensuum usum desiderans **). Ex hac vero sententia, aliisque LEIBNITU Hypothesibus, prodit *Idealismus BERKELEYI*: sicut ex Lockiana doctrina, *Scepticismus HVMEI*. Et haec est tabella quatuor primiarum de origine et fundamento cognitionis nostrae sententiarum, quae ante criticam Philosophiam fuerunt: *Empirismi*, *Intellectualismi*, *Scepticismi*, *Idealismi*; quae tabella, si propter dicendi brevitatem in quibusdam obscurior fuit, maiorem a sequentibus lucem accipiet.

Atque iam nunc ipsam discussionem eruendorum cognitionis humanae Principiorum ingrediamur; in qua eam Legem imitari conabimur, quam Astronomi cum admirando successu securi sunt. Scilicet omnia, quae nobis *videbuntur*, non quidem statim pro veris habebimus; sed neque prius reiiciemus, quam nos primo intuitu deceptos fuisse, examine instituto, intellecterimus. Ante omnem vero discussionem convenienter inter nos de eo est: nos pro illis probandis, de quibus nullus unquam Scepticorum dubitavit, ut est: nos revera cogitare,

*) PLATO in Phaedone et Menone.

**) LEIBNITZ Nouveaux Essais sur l'Etend. hum. Avant-Propos, p. 3-7.
Item Livr. I. et II.

tare, repraesentare etcet, nullam demonstrationem desideraturos; pro cognitione vero humana, qua nihil sublimius quaerimus *), habituros, relationem certam, datae cuiusdam re praesentationis ad aliquod obiectum **): ut si repraesentationem, quam in animo tuo circuli habes, ad circulum quendam in aliqua tabula scriptum referas; aut si repraesentationem parentis tui ad certam aliquam personam referre scias: tunc circulum in tabula, et parentem tuum, in homine certo cognovisti; cognitione tua vera erit, si repraesentatio cum obiecto ipso, ad quod refertur, convenerit. Ut si circuli repraesentationem revera ad circulum, non ad ellipsin, aut aliam curvam referas.

Obiecta cognitionis nostrae primum quidem in duas classes abire videntur: res intra, et extra nos positas; deinde in duas alias, res materiales, et immateriales; atque haec omnia cognosci etiam posse a nobis videntur. An res ita se habeat, severiori examine discutiendum est.

Primum itaque a rebus intra et extra nos, ut videntur, positis ordiamur. Felices forte Animas, quibus de his nunquam contigit dubitare: illas vero iniustas, quae beatam illam aliorum tranquillitatem temere ac imprudenter turbaverint! At vero omnibus ultra vulgus philosophaturis, etsi non tristis aliqua semper dubitandi, at gravis satis iudicium suum aliquamdiu suspenderi, examenque instituendi, necessitas incumbit.

Quamvis enim res quasdam intra nos positas, ut sunt re praesentationes, item laetitiae, tristitiae, aliquique animi affectus, qui dubitaret in nobis revera existere, absurdum dicerem: tamen qui res, etiam extra nos ita, ut videntur, positas, esse negaverunt, Philosophos non parvi nominis fuisse concedam. Qui quum inter se gradu assertionis diversi fuerint, eum potissimum

*) III. FEDERVIS über R. u. C. p. 82.

**) KANT Crit. d. r. V. p. 137.

num spectabimus, qui princeps inter reliquos eminuit, quippe qui res extra nos positas, etiam quatenus illae obiectum sensuum nostrorum esse possunt, pro meris *ideis* habendas esse docuit, indeque nomen *Idealistae Dogmatici* vel *Psychologici* accepit. Fuit is, cuius iam supra verbo meminimus, BERKELEY, ad initium huius seculi celebris de sua eruditione et pietate Episcopus Hibernus, qui maxime MALEBRANCHII LEIBNITIUSque Hypothesibus de nexus animi et corporis suum Idealismum ita superstruxit; ut hunc demoliri, stantibus illis, non valeas *). Quodsi enim res extra nos positae, e. gr. corpora, in animum nostrum, ut causae, agere non possint: tunc etiam existentia eorum, quippe de qua ratio ipsa ex se nihil novit, qui possit cognosci, non video, atque tunc systemati Malebranchiano, aut harmoniae Leibnitiana, simpliciorem illum BERKELEYI Idealismum praetulerim: omnes commutationes non voluntarias, ipsasque rerum extra nos, ut *videtur*, positarum representationes, una cum veritatibus necessariis in anima nostra, non ab obiectis corporeis, etiamsi illa revera existant; verum immediate ab animo perfectissimo, omnium animorum auctore, quem DEVU dicimus, excitari **). Quod credere, quamvis quoad praecipua Metaphysics capita innocuum esse videatur: est tamen scandalum Philosophiae et communis Rationis humanae, refutarique si possit, vel maxime debet ***). Neque id iam difficile esse existimem: ea enim, quibus hic Idealismus nititur, ut sunt: animas nostras esse simplices; et corpora in eas agere nullo modo posse; vix tanti momenti esse censuerim, ut mundi corporei extra nos existentiam dubiam nobis esse malimus, quam illa ex animis nostris eiicere. Namque, etiamsi prius illud Idealismi fundamentum, quod quidem ei ferendo per se non sufficit: animas esse simplices, facile sinamus superesse: alterum profecto sustinere non possumus; quum non tantum ipse Climatis varii in animos hominum influ-

xus;

*) Ill. MEINERSII Grundriss der Gesch. der Weltweish. edit. 1789. pag. ult. Item Grundriss der Seelen-Lehre pag. 161 - 166.

**) BERKELEY'S Treatise of the Principles of Human Knowledge. Item Dialogues between Hylas, and Philonous.

***) KANT Crit. d. r. V. Vorrede zur III. Aufl. pag. XXXIX.

xus *); sed etiam ea omnia, quae cum in aliis, tum in nobis ipsis, sanis vel aegrotis, vigilantibus vel dormientibus observamus, eo nos necessario ducant; ut corpora in animos nostros agere, dubitare non possumus, nisi omnem causarum nexus ex orbe tollamus. Interim adversus Idealismum optime ex communi linguarum usu, seu Grammatica philosophica, disputari, recte Ill. FEDERVIS observavit **). Nec fuit extremus hic Idealismi gradus, ullos, quod sciam, post auctoris sui mortem nactus defensores. Idealistae vero inferioris in asserendo gradus numero plures semper erant: inter quos referendus CARTESIUS, qui rerum extra se existentiam non negavit quidem, sed tamen in problemate posuit; nec ullam assertionem indubiam ex *immediata experientia* derivari posse putavit, nisi illam: *ego existo*. Hic Idealismus *problematicus* dictus indoli sanioris Philosophiae conveniens est; quum nihil aliud, quam demonstrationem rei non usque adeo clarae desideret. Dedit eam Cel. KANTIVS satis multis ***), quorum summa hoc fere reddit: CARTESIUS, et cum eo quilibet, nos de *nossa existentia*, ex *immediata experientia* (*interna*), dum aliquid nobis repraesentamus, edoceri admittit, ita quidem, ut nostram existentiam non pro nuda repräsentatione (seu idea) habeamus. At vero si repräsentatio nostra, quam hic internam experientiam dicimus, ad aliquod obiectum *extra nos* referatur, tunc illud quoque, sicut nos ipsos ab ipsa representatione (s. idea) distinguamus, ac extra nos aequa revera existere, ac nos ipsos, eadem experientia edocti credamus, necesse est, de quo infra pluribus. Et profecto simulac existentiam nostram *loco et tempore* determinare voluerimus: res extra nos positas materiales revera, ut nos ipsos existentes, adsumere oportet.

Ex quibus iam, si quid video, inferre possumus: *existentiam rerum intra et extra nos ita esse certam*, ut inter pri-
mas

*) FLÖGELS Geschichte des Mensch. Verst. et alii.

**) FEDERS Grund-Sätze d. Log. u. M. p. 141. Raum u. Causalit. p. 64.
et sequ.

***) KANT Crit. d. r. V. Vorrede XXXIX. et seq. Item p. 274. et seq.

mas de cognitione humana veritatis, seu *Principia* ponit, mereatur.

Alterum, quod nobis circa obiecta cognitionis nostrae videbatur, fuit: ea in *res materiales* et *immateriales*, seu *entia composita* et *simplicia*, aut in *corpora* et *spiritus*, abire. Atque in hac re examinanda ac definienda grata quaedam laboris facilitas nobis prima fronte blanditur; siquidem evicta existentia rerum intra et extra nos positarum, etiam spiritus et corpora existere, iam evictum esse videatur. Et sane si *corpus* dixerimus omne id, quod obiectum sensuum externorum est; *spiritus* vero omne id, quod sensibus externis obvium non est; ut illud, quod in nobis cogitat: tunc de existentia et spirituum et corporum nemo dubitabit. At vero ea diversitas hactenus tantum phaenomena (Erscheinungen), hoc est, res, prout eas sensibus nostris experimur, spectat: si vero de *rebus ipsis*, h. e. de eo, quod fundamentum phaenomenorum est, quaestio fuerit, quales illae *revera*, seu *in se*, ultra *experientiam nostram*, (obiectum transcendentale), seu, ut PLATO loquitur, *cūtws ὄντες* sint? e.g. an substantia cogitans; *in se* simplex vel corporea sit? atque an magna illa rerum extra nos classis in corpora et spiritus abeat, aut alterutrum tantum in *se* constituat? id definire, arduum est *).

Duae hic sunt extremae sententiae; quarum una nonnisi *materiam*, seu *entia composita*; altera nonnisi *entia simplicia* seu *spiritus*, *revera*, seu *in se*, existere ponit: prioris defensores *Materialistae*; posterioris *Spiritualistae* strictius sic dicti, vocantur. Ad hos retulerim LEIBNITIVM, qui corpora omnia, si intellectu examinentur, nonnisi ex substantiis simplicissimis, atomis, seu ut ille vocat, *monadibus*, quae singulae etiam repraesentandi facultate gaudeant, constare docuit **). Ad hos

refer-

*) KANT. Crit. p. 306. et seq. 319. p. 726.

Item Prolegom. 70-104.

Confer EEBERHARDIS Phil. Mag. III. St. p. 248. et seq. Ill. FEDERI Grunds. der Log. u. Met. p. 196. et seq.

**) LEIBNITII Operum Tom. II. Pars I. pag. 20-32. Nouv. Ess. p. 406. et seq. Confer KANT Crit. d. r. V. p. 321. et sequi. 330.

referam EPICVRVM, eiusque discipulos, praeter atomos nihil reale adsumentes earumque naturas in figura, magnitudine et gravitate collocantes *).

Medianam sententiam illi sovent, qui et spiritus et corpora, et quidem ut duas substantias natura sua, seu *in se*, diversas existere credunt; et hinc *Dualistae* vocantur. Qui quamvis vel propter ipsam, quam tuerintur, medietatem, veritate gaudere possint: tranquillam tamen, et certam illius possessionem non antea habent; quam finis certaminis inter duas extremas partes contigerit **). Id quod sperare tamdiu vanum est; donec de eo conventum inter omnes partes non fuerit; an sit, et quis sit ille modus, quo ad rerum *in se* cognitionem pervenire, homini concessum sit?

Sane quium omnis cognitio nostra, ut supra statuimus, in eo consistat, quod datae representationes ad obiecta ipsa referamus: ante omnia natura nostrae facultatis *repraesentandi* (Vorstellungsvermögen) ad exemplum Cel. REINHOLDI ***), ea qua hic licet brevitate, examinanda est.

Quilibet, qui sibi attendit, seu ut Angli Philosophi loquuntur, qui animum suum ad suas mutationes *reflectit*, dum quidam sibi sistit, seu *repraesentat*, animadverte potest, se aliquam impressionem *recepisse*, eamque *spontanea* quadam animi vi, *praesentem* aliquamdiu tenere, ac infueri posse. Spontaneitatis huius limites esse, et *attentionis* facultate absolvi, crediderim. Unde inferre licet: nostram *repraesentandi* facultatem in vi quadam *recipiendi* passiva (Receptivität); et simul vi, impressionem *retinendi* et *contemplandi* activa, et quidem *spontanea*, (Spontaneität) consistere. Quilibet porro, qui ad suum *repraesentandi* actum animum reflectit; tria haec a se invicem distincta in eo actu deprehendet: *subiectum repraesentans*, h. e. ipsum animum; *obiectum*, quod *repraesentatur*, et *repraesentationem* ipsam, quae per vires *subiecti* *repraesentantis* ex impressione accepta educitur, et formatur, (ausilden:) atque ad *obiectum*, velut causam excitantem, refertur.

Ut,

*) EPICVRVS in Ep. ad Herod. ap. Diog. Nro. 24. §. 39. το παν εἰς σωμα. vide PLOVCQVET Commentat. Philosoph. Disput. I. de Cosmog. Epicuri.

**) KANT Crit. d. r. V. p. 462, et seq.

***) REINHOLDS Versuch einer Theorie des menschl. Vorstell. Verm.

Ut, si quis sibi lunam reprezentet: se ipsum a luna, lunamque a representatione, quae in animo est, et ad lunam refertur, facile distinguet. Talis reprezentandi actus, cuius singulas partes animus ita distinguit, cum *conscientia logica* (Bewußtseyn) fieri dicitur, et propter bene perceptam obiecti impressionem, *perceptio*; propter sensum vero mutati status, quem animus ante perceptionem habuerat, *sensatio* (Empfindung) vocatur. Impressio animo facta si causam in ipsa anima habuerit, ut est perceptio gaudii ex virtute propria, *sensatio interna*; facultasque eam percipiendi, *sensus internus* est. Si vero causa impressionis extra animum esse videatur, ut si ignis digitos urat: doloris perceptio, *sensatio externa*; facultasque eam percipiendi, *sensus externus* est. Uterque vero sensus communi nomine *sensualitas* (Sinlichkeit) dicitur. Unius vero cuiusdam obiecti, ope sensuum percepti, reprezentatio in animo: *intuitio* (Anschaung); et quae inde nascitur *cognitio*, *intuitiva* vel *immediata* est; de qua pluribus agendum.

Intueri internas animi impressiones non aliter possumus: quamsi eas aut simul cum aliis existere, aut sibi invicem continuo succedere, concipiamus. Ut si oculis clausis aliquam impressionum internarum seriem percurras, eamque sub imagine quadam contemplari velis: successionis profecto, seu temporis continuo labentis conceptum adhibeas, necesse est. Unde iam Critica Philosophia infert: conceptum *temporis* ad intuendas sensus interni mutationes usque adeo requiri, ut is pro ipsa internarum animi mutationum spectandarum *forma* habendus sit. Inde autem illud fluit: nos ope sensus interni, omnia quae intra nos contingunt, nonnisi sub coexistentiae et successionis, verbo, *temporis* forma intueri, nihilque aliud quam mutationes animi, velut phaenomena sibi invicem succendentia; nunquam vero ipsam *animi substantiam in se*; atque adeo, sensus quidem interni ope, neque cognoscere posse, an ea simplex vel corporea sit *).

Circa *externum* vero *sensum*, cuius ministri Organa corporis nostri sunt, id animadvertisimus: quod mutationem a cor-

* KANT Crit. d. r. V. p. 46 - 68. p. 420. et passim alibi.

pore quodam extra se p̄sito acceptam ad animūm, seu sensum internum, transmittat. Ut si acus quaedam nervos in extremis digitis laedat; mutatio in digitis facta transmittitur ad animūm: qui nisi pluribus aliis contemplandis obrutus fuerit, nuntium sibi factum excipit, quidque extra se contigerit, cognoscit. Modum, quo mutatio in Organis corporis facta ad animūm transmittatur, prima fronte illi videntur optime explicare, qui animām materiale statuunt *): interim Dualistarum sententia, sub nomine Influxus Physici nota, communi rationi humanae hactenus magis satisfecit. Quamvis enim modum actus explicare nesciamus: de actu tamen ipso dubitare, dum sani fuerimus, non possumus: corpora extra nos agere in organa nostra; actionemque illam seu mutationem in Organis factam etiam a sensu interno percipi, causamque mutationis reprezentari sub formula *extensionis* seu *spatii*, h. e. Animūm nostrum nihil, quod in organa sua agat reprezentare, nisi quod extensum in spatio positum, figura et magnitudine definitum fuerit. Vnde critica Philosophia insert: Conceptum spatii ad subiectivam animi nostri dispositionem pertinere, nosque obiecta externa, quae in sensu nostros agent, non aliter, quam sub illa Receptivitatis nostrae forma, h. e. ut extensa intueri, qualia vero *in se* sint, sensum quidem beneficio, quod hactenus vidimus, definire non posse **).

Quae si omnia recte se habuerint: illud quoque inter Principia cognitionis nostrae referendum putem: *Nostrae sensualitati, et corpora extra nos, et animi mutationes in nobis, duabus sub formis (spatii et temporis) occurtere; atque adeo diversae etiam Naturae nobis videri: an vero re vera, seu in se, (ov. r̄as) talia sint, sensum indicio definiri non posse.*

Neque in hoc critica Philosophia minus, quam Leibnitiana, sensibus tribuit: cur enim *confusa* rerum in se cognitio, *distinguetae* phaenomenorum cognitioni, usibus vitae nostrae sufficienti, anteferenda sit, non video ***).

Quodsi igitur sensus nostri definire non possunt, quid Res *in se* sint, discutiendum nobis erit, an non aliis etiam, forte ex-

cel-

*) III. FEDERI Grunds. der Log. und Metaph. p. 244. Nro 2. 3.

**) KANT Crit. d. r. V. p. 42. et sequ. Confer III. FEDERV M über Raum und Causal. p. 21. et sequ.

***) KANT Crit. d. r. V. p. 60. 61.

cellentioribus Réim cognoscendi facultatibus animus noster gaudet?

Vt rem inde, ubi substitutus, ordiamur: in *repraesentatione* cuiuslibet *objecti singularis*, varia ac *multifaria* (Mannigfaltigkeit) esse deprehendimus egr. In *Repraesentatione palati* cu*iusdam, tectum, parietes et fundamentum; in arbore aliqua, folia, flores, ramos, truncum* etc. Est vero quaedam vis in animo nostro, quae naturali quadam propensione varia illa in uno aut etiam pluribus objectis, non nihil inter se similibus occurrentia, in unam quasi summam colligit, seu ut abstractius loquar, in *unitatem* (Einheit) concipit; quae vis animi *Intelletus* (Verstand), ipsa vero variorum summa, seu unitas, *conceptus* (Begriff) dicitur. Conceptus uni certo objecto, e. gr. *Lateralis Romae respondens, conceptus singularis; pluribus competens, e. gr. Palatium, generalis* dicitur. Conceptus generales varios habent gradus, quorum Historia naturalis plurima exempla dabit. Conceptus omnes, qui sensibus, seu experientiae, originem suam debent, *Empirici* vocantur; quales in animis humanis esse iam vidimus. Dispiciendum autem hoc loco est, an non in nobis aliqui conceptus etiam *Non-Empirici* existant, h. e. tales, qui non solum non immediate ex sensibus, sed ne mediante quidem abstractione ex iisdem elici, seu, ut critica Philosophia loquitur, *discurrente per res, sensuum ope cognitas, componi possint, atque adeo, qui omni experientia priores (a priori) seu innati sint, et ab omni sensualitate puri (rein)?*

Tales conceptus a priori Empiristae nullos admittunt: Intellectualistae, ut vidimus, aliquos dari credunt, ad quos ipsa etiam critica Philosophia accessit; interim suos conceptus a priori ante sensuum usum, ab omni materia vacuos, nonnisi pro titulis, seu subiectivis dispositionibus mentis habet; quarum ope animus humanus suas operationes exercere possit. Character conceptuum a priori est *absoluta eorum necessitas et universalitas*, quae conceptibus empiricis propterea non competit: quod omnis experientia a varia sensuum dispositione, aliisque rebus multis dependens, necessaria non sit; nihilque aliud monstrat, quam rem ita esse, non vero, necessario ita esse debere; et quod *omnis*

omnis experientia etiam millies et amplius repetita, pro absoluta universalitate sine errore (a particulari ad universalia) sumi non possit *). * Concepus a priori laudat critica Philosophia, praeter *tempus* et *spatium*, generalissima quaedam *Praedicata*, et inde *Praedicabilia*, quae voce ex Aristotele desumta *naturae* vocat**); easque pro totidem formulis laudat, quas Intellectus noster in cogitando, seu in formandis generalissimis iudiciis prae se habet. Satis sit ex illis unam *causalitatis* categoriam seu necessarium causae et effectus nexus in animo decerpisse, quem critici Philosophi Intellectui velut formulam cogitandi inesse docent, atque unice pro subiectiva Intellectus nostri dispositione habent, nec nisi ad experientiae obiecta extendi posse existimant †). Ex quo iam iidem Philosophi inferunt: *Nos res, experientiae nostrae sphaeram transcendentem* (transidente Genenstände) *ut sunt res in se, nec ope intellectus, seu categoriarum eius, cognoscere posse.* Et profecto si ad cognitionem, ut statuimus, repraesentatio, seu intuitio rei requiratur; rerum autem in se nulla intuitio esse possit, non est, cur huic sententiae repugnemus; nisi illa, *existentiam quoqne rerum in se a nobis cognosci posse, negaverit ††).*

Superest una adhuc mentis humanae facultas, quae supremum humanae cognoscendi facultatis gradum constituit, quippe quae, ex datis quibusdam, incognita alia, interim datis sufficienter determinata, elicit, quae facultas a suo actu, qui *ratiocinatio* dicitur, *Ratio* (Vernunft) audit. Et quia in omni ratiocinatione ab universalis veritate ad particularem sub illa contentam concludimus; universalis vero propositio relate ad particularem, quae ex ea fluit, *Principium* sit: recte *Ratio* in critica Philosophia *Facultas Principiorum* vocatur; et simul etiam *Facultas Regularum*, cuius explicationis usus maxime in practica Philosophia

*) KANT Crit. d. r. V. p. 123. 124.

**) Ebendas. p. 102 et sq.

†) Ebendas. p. 232 sq. 240 sq. Conf. ill. FEDERI Grunds. der Log. u. Metaph. p. 152, 153. Idem über Raum u. Causal. Attentionem id meretur: quod laudatus iam toties summus, Philosophus Categoriam causalitatis et a priori et a posteriori deducat.

††) KANT Crit. d. r. V. p. 344. Ueber eine Entdeckung etc. p. 41. confer EBERHARDS Phil. Mag. II B. IV St. und IV B. IV St.

*. Vide contra in *Grundfragen*: übrig dem Vorwurf in *Principia* für Kant'sche Wissenschaft u. Block. Berlin 1802.

sophia est *). Iam cum Ratio ex datis concludat ad Incognita; Data vero pro cognitione rerum *in se* neque a sensibus, neque ab Intellectu accipiat: non videtur ad aliquam rerum *in se* cognitionem concludendo perveniri posse, nisi plus ponatur in conclusione, quam datum sit in Praemissis. At vero est quaedam Rationis nostrae naturalis plane propensio, in catena Principiorum semper altius, atque altius adsurgendi, atque ultra omnem experientiae nostrae Sphaeram, quae cognitionem realem unice dat, ut hactenus vidimus, evolandi; e. gr. cum seriem effectuum et causarum videt, ad ultimam quandam causam, in qua subsistat, descendendi. In his actibus Ratio ab omni experientia vacua, seu pura dicitur: cuius examen criticum dedit cel. KANTIVS, in immortali libro, toties iam a me cito, cuius summa hoc reddit: nōs in *Ideis*, quas theoretica nostra Ratio pura format, tuto adquiescere non posse, quum, si catenam rerum *in se* ope Rationis theoreticae non novimus, qui ultimum illius membrum cognoscamus? Cum vero practicam in nobis Rationem, quae praecepsis virtutum absolvitur, in se absque forma temporis noverimus: ex illa etiam alias veritates cum ea nexu necessario connexas, ut est Idea DEI, eiusque existentia, item immortalitas animi et eius libertas, absque ullo erroris periculo a nobis deduci posse palam est **). Qua quidem in re ipse cel. KANTIVS tanta diligentia versatus est: vt erepta nobis non satis firma argumenta, non est, cur deploremus; postquam meliora, certe ad veram in Deum religionem magis ducentia, ab eodem accepimus, antiquioribus etiam argumentis robur datura ***).

Itaque summam eorum, quae de Principiis cognitionis humanae maximi momenti esse credebam, exposui, quae repetere, ne taedio sim, nolo. Nihil de cognitione humana, quae nobis aliquando revera competit, in his eruptum nobis esse, attentus lector videbit. De DEO quidem meliora et puriora nos nosse, quam unquam antea, iure possumus gloriari: de natura quoque minus nos cognoscere posse, quam a Philosophis inde a

CARTESII

*) KANT Crit. d. r. V. p. 24. 355 sq. Crit. d. pract. V.

**) Idem Crit. der pract. Vein.

***) Idem Crit. d. r. V. p. 618, 665, 669.

CARTESII temporibus creditum est, non docui *). De gradu Principiorum, quae deduxi, non dispuo: cel. REINHOLDIVS primum locum *actui conscientiae logicae* tribuit; cui multa subtilater AENESIDEMVS Helmstadiensis opponit. Claudam rivos, a Leibnitio **) commendatam mihi legem in Philosophia praescribendo: circa fundamenta cognitionis nostrae firmius ponenda non nimis diu animum esse occupandum, sicubi illa hominibus brevis aevi satis iam tuta videbuntur; atque tunc statim, priscorum Geometrarum more, de superstruendo in usus nostros aedificio cogitandum esse.

*) III. KAESTNERVS in praefat. ad LEIBNITII Nouv. Ess. statim ad initium.

**) LEIBNITII Nouv. Ess. p. 420.

T H E S E S.

- I. In Philosophia de Veritate Propositionum prius est, quam de earum usu, disquirendum.
- II. Veritas fortuna sua semper superior.
- III. Quaelibet regendae Civitatis forma in se spectata, sua Comoda, et sua Incomoda habet.
- IV. Ius faciendi Iusta et Bona, quilibet, quantum possit, natura habet: Ius vero Iniusta quoque faciendi ne conferri quidem in aliquem recte potest.
- V. Sicut Naturalis Logica, et Metaphysica est: ita etiam Mathesis Naturalis.
- VI. Circuli Quadratura, pro usibus nostris iam sufficienter detecta est.
- VII. Ad explicandam fontium originem pluviae et nives deciduae sufficiunt.
- VIII. Cur Aqua Maris salsa sit, non tam mirandum est; quam illud; cur omnis Aqua non sit?
- IX. Limes inter Animalia et Plantas, subtilis quidem; sed tamen sufficiens hactenus duci potuit.

Umg IV A 35

VDAB




Universitätsbibliothek der HU Berlin

01141100036102



Zweigbibliothek Fremdspr. Philol./FinUgr.

B.I.G.



COMMENTATIO

DE

SVMMIS COGNITIONIS HMANAE

P R I N C I P I I S

QVAM

AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGSTA

PRO SVMmis IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
OBTINENDIS

DIE IX MAIL. A. CICDCCXCW

P V B L I C O E X A M I N I

S V B M I T T I T

PAVLVS SÁRVÁRI

HVN GAR VS

GOTTINGAE,

TYPIS IOANNIS GEORGII ROSENBUSCHII.

Biblioteca Hungarica que Viuenbergae
est officiose obulit auctor; dum Vitemb
convenit. 1795.

